



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales

In Quibus Vnivers[a]e Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

15 Quando feudum sine culpa vasalli finiatur, & destinatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

bonis libertor. Nec cogi potest ad si feudum testimonium.

Sextum crimen, Si vassallus, sine consensu Domini feudum alienauerit, ex constitutione Federici Imperatoris feudum amittit, *lib. 2. tit. 35. vers. Cāllidū.*

Quid si alienauerit, sed nondum rem feudalem tradiderit? Respondet Andreas Ileruta apud Clarum, *quæst. 31. à feudo non cadere.*

Quid itidem, Si interuenerit traditio rei non vera, sed ficta? Respondeo sufficere, vt feudum amittat. Sic Paulus, & Parisius, & Tiraquellus apud eundem Clarum, *in eadem quæstione 31.*

Roges, An si alienatio, sit aliunde contractus irritus, & inanis, vassallus poenam incurrat? Respondet Parisius apud Clarum, *quæst. 31. prædictam poenam non incurrare.* At teste Duareno *in comment. in consuetudines feudorum. cap. 14. num. 16. ea constructio in Gallia non feruatur, sed vassallus liberum est alienare feudum, dummodo laudemium secundum curiæ consuetudinem Domino persoluat.*

Quæres, vtrum poena afficiatur vassallus, si in alienatione dicat (saluo, & reservato consensu Domini) Lison apud Clarum, *quæstio. 31. ait esse communem sententiam, hoc non sufficere, vt vassallus liber sit à poena, nisi expresse dixerit se alienare saluo consensu Domini, vt non aliter, nec alio modo.*

Quid si vassallus ignorans alienauit feudum? Respondeo, ignorantiam non iuuare: & ideo feudum esse restituendum, & condemnandum emptorem ad id, quod interest domini, *lib. 2. Feudor. tit. 26. §. Si vassallus.*

Quid itidem, Si vassallus omnia tua bona vendiderit, an eo ipso feudum quoque vendidisse videbitur? Respondeo, minimè nisi id nominatim expresse sit, *lib. 2. tit. 26.* Nam generali alienatione, non dicitur quis alienasse, quæ specialiter alienaturus non esset. *l. Obligations generalis ff. De pig. r. i. b. i. nisi appareat alioqui feudum vendere voluisse: quod potest colligi ex pretij quantitate, & aliis circumstantiis.* Veluti si pretium maius sit, quàm esset, si omnia bona præter feudum venderentur, & tunc feudum amittit, & partem pretij auctori bonæ fidei restituere secundum conscientiam cogitur.

Quæres, An vassallus feudo nihilominus cadat, etiam si illud alienatum recuperauerit? Respondeo, cadere, & feudum ad Dominum reuerti, *lib. 2. Feudo. tit. 44.* Ita Bart. Alexand. & alij apud Clarum, *quæstione 31. quam opinionem dicit esse communem Cuius, vt testatur Clarus in loco citato.*

Quæres itidem, An si vassallus feudi tantum partem alienet, totum feudum amittat, an verò solum partem? Respondet Bald. teste Claro, *quæst. 31. totum feudum amittit.* Sed oppositam eius, *lib. 1. Feudorum tit. 38. habetur, parte feudi alienata sine consensu Domini, non totum feudum, sed partem tantum Domini apertis, hoc est, ad Dominum reuerti.* Et contra Bald. sentiunt communiter Doctores, vt testantur Cornucius, & Curtius apud Clarum, *quæst. 31.*

Septimum crimen, Si Titius vassalli Dominum offendat, & monitus vassallus à Domino, vt adductus filius, delicti veniam à Domino petat, si hoc non fecerit, nec à se filium amandat, feudo priuatur. *lib. 2. tit. 31. §. Insuper. Idem Iuris est de vassallis, cum quis ex domesticis eius, aut ex suis vassallis Dominum offenderit, lib. & tit. iam allegatis. §. Illud.*

Octauum crimen est, Si vassallus sit aduersus Dominum contumax, hoc est, si vocatus ad curiam Domini, venire neglexerit. *lib. 2. tit. 22.*

Nonum est crimen, Si vassallus iure feudi, vel inuestitura abutatur, *lib. 2. tit. 22. §. Quicumque.*

Decimum, Si vassallus ex genti Domino obsequia, ne gauerit se vassallum eius esse, *lib. 2. tit. 26. §. vassallus. & tit. 34. §. vltim.*

Denique aliqui dicunt, ex iisdem causis feudum amitti, ex quibus donatio perfecta reuocatur, vel ex quibus causis filius iure exheredatur. *libro secundo, tit. 24. §. Prædictis.*

Quibus causis feudum amittatur culpa vassalli, in alium quàm in Dominum admissa.

CAPVD XIV.

Oculpam vassalli non in Dominum, sed in alium commissam amittitur aliquando feudum. Primo, Si vassallus fratrem suum interfecerit, *lib. 2. Feudorum. tit. 37. præfertim si spe totius hereditatis consequenda trucidauerit: hoc enim crimen apud nobiles habetur detestabile.*

Secundò, Si hominem proditorie occiderit, *lib. & tit. præcitatis.* Et eisdem causis, quibus vassallus delicto suo feudum amittit, Dominus feudi proprietatem perdit, *lib. 2. tit. 47.* Ob reciprocam inter Dominum, & vassallum obligationem, *lib. 2. tit. 6. §. Dominus quoque.*

Dubie quæstionis est, An quando feudum vassalli culpa amittitur, vassallus ipso iure cadat à feudo ante vllam criminis condemnationem? Respondeo ex communi sententia, Quandoocumque culpa vassalli feudum amittitur, eo quod illud sine consensu Domini alienauit, ipso iure cadit à feudo. Vnde tunc nulla opus est condemnatione, seu priuatoria sententia, sed tantum declaratoria criminis, sicut in alijs rebus, quæ ipso iure ob crimen alicuius amittuntur. *c. Cum secundum, de Hæret. in sexto.* Tunc enim Iudex pronuntiat, bona esse confiscata. Non admittit quidem bona, sed declarat, ea esse ipso iure adempta, seu potius amissa, à tempore contracti criminis. Ita etiam in feudis Iudex pronuntiat, vassallum esse de crimine conuictum & tunc retrotrahit sententia, declaratur, feudum amissum fuisse, à die sceleris commissi. Quando verò culpa sua feudum vassallus amittit alijs de causis, tunc nisi criminis fuerit conuictus, & sententia priuatoria condemnatus, feudum Dominus non recipit. *lib. 2. tit. 26. §. Vassallus, & lib. tit. 55. §. Sancimus.*

Quando Feudum sine culpa vassalli finiatur & desinat.

CAP. XV.

FINITVR Feudum absque vlla culpa vassalli.

Primo, morte vassalli, si decefferit sine filiis legitimis, & sine agnatis *lib. 1. tit. 10.* Appellatione filiorum intelliguntur nepotes, & cæteri descendentis masculi.

Secundò, Feudum desinit renuntiatione, si vassallus feudum repudiauerit, renuntiauerit ve, hoc est, si se feudo abdicauerit. *lib. 2. tit. 38.*

Tertiò, Si sacros Ordines susceperit, vel Religionem professus fuerit: Si vitium corporis exlaueat, ita vt idoneus amplius non sit ad obsequia debita præstanda, *lib. 2. tit. 26. §. Qui clericus, & tit. 36.* Hæc autem locum habere vbi fuerit vlti recepta: alioqui enim, pro varietate locorum consuetudines in his variantur.

Quartò, Cursu temporis, ad quod feudum est datum: vt si datum sit ad quartam generationem, & non ad vltiorem.

Dubie quæstionis est, An sicut præscriptione annorum triginta, feudum acquiritur, *lib. 2. tit. 26. §.* Si quis per triginta, etiam si quis ineptus non sit, ita etiam præscriptione triginta annorum possit feudum amitti, quamuis inuestitura præcellerit. Respondeo, posse. Finge Titium esse vassallum Caij, & feudo esse inuestitum; nihilominus Seium per triginta annos feudum illud possedisse, & recognouisse, tanquam Dominum, ipsum Caium, tunc quemadmodum Seius acquirit præscriptione feudum, sic etiam Titius illud amittit.

Dubie itidem quæstionis est, An etiam longissimi temporis præscriptione amittat quis proprietatem feudi?

Respon-

Respondeo, amittere; quia idem ius est de vasallo, & Domino Veluti, recepisti feudum à Titio, & Caput recognovisti dominum spatio triginta annorum, Titio toto eo tempore nullum obsequium, & officium à te exigente? tunc Casus præscriptione proprietatem acquisiuit, & Titius, qui erat meus Dominus, amisit.

Quando amittitur vel finitur feudum, cuiam aperiatur, hoc est ad quem devolvatur.

CAPUT XVI.

QUÆSTIO est inter Feudistas, cuiam feudum deferatur, Domino, an agnatis proximis, quando illud finitur, & amittitur? In hac quæstione, causæ, quibus finitur, vel amittitur, feudum, distinguendæ sunt. Nam feudum definit, aut culpa vasalli, in dominum patrata, vel culpa eius in alium, quàm in Dominum commissâ, aut alienatione feudi per vasallum, sine consensu Domini facta, aut renuntiatione, siue repudiatione feudi: aut morte vasalli, aut lapsu temporis deficientibus vocatis ad feudum ex prima investitura.

Quando feudum amittitur culpa vasalli in Dominum perpetrata, revertitur ad ipsum Dominum, *lib. 2. tit. 24. §. vlt.* non solum si feudum sit novum, ut omnes consentiunt, sed etiam quamvis feudum sit paternum, siue antiquum, in quo alias agnati succedunt iure investituræ; quia tacite illud ab initio datum videtur, ut feudum latum Titio, & agnatis eius, revertetur ad Dominum, exclusis agnatis, si vasallus Dominum graviter offenderit, nisi aliud in ipsa investitura exprimat: Andreas Hæmia, teste Claro, *quæstione sexagesima sexta*, cum quibusdam aliis sentit, devolui feudum paternum tunc ad agnatos exclusis filiis, & descendentibus vasalli delinquentis; quia agnati nullam culpam contraxerunt; quæ opinio magis Claro placet, & alicubi est usu recepta. Sed communis opinio est ea, quam dixi, ut testantur Curtius, Gratus, Anani, Gozadinus apud Clarum *eod. in loco*.

Quando verò feudum amittitur culpa vasalli in alium, quàm in Dominum commissâ, transfertur feudum, si paternum sit, vel antiquum, ad agnatos, exclusis filiis descendentibus, *lib. 2. tit. 37.* At si feudum sit novum, redit ad Dominum, *lib. 2. tit. 24. §. Si vero non.* Ita Andr. Hæmia, Curtius, Alexander, Zazius, & communis opinio apud Clarum, *quæstio 66.*

Agnati autem hic accipiuntur, qui quarto gradu agnationis remoti sunt ab eo, qui feudum accepit, *lib. 2. tit. 26. §. Si vasallus. C. tit. 31.* Excluduntur igitur non tantum filij vasalli, sed & alij agnati, usque ad quartum gradum. Et hæc est sententia communis, teste Iul. Claro *prædicta quæstione*, quamvis ipsi non placeat.

Quando autem feudum amittitur; quia illud alienavit vasallus sine consensu Domini, tunc conerata dici videntur in libris feudorum. Nam *libro secundo titu. 24. §. vlti. C. tit. 38. C. 44.* Simpliciter habetur, feudum ad Dominum reverti. Sed *titul. 8. Hoc quoque, lib. 1.* contrarium videtur decerni. Vnde inter Feudistas sunt duæ opiniones, una est, feudum, quamvis sit paternum, ad Dominum redire. Hanc dicitur esse communem Aretinus apud Clarum, *quæstione sexagesima sexta*. Hanc sequitur Daureus *in comment. de feudis cap. 17. num. 4.*

Altera est opinio, devolui feudum ad agnatos exclusis filiis: quam sententiam sequitur Baldus, & eam dicit esse communem Ruinus, Curtius, teste Claro *quæstione sexagesima sexta*. Probabilior est eorum opinio, qui putant feudum agnatis deferri, nisi obstat constitutio Federici Imperatoris, *lib. 2. Feudo. tit. 35. Callidus*. qua veteri consuetudini derogatur.

Potest quando feudum finitur, aut definit absque culpa vasalli, videlicet morte eius decentis sine filiis, & posteris

descendentibus, & sine agnis: tunc feudum ad Dominum devolvitur, & vtile dominium cum proprietate consolidatur. Idem iuris est, quando feudum finitur repudiatione, vel restitutione eius per vasallum facta, si feudum sit novum, non tamen si paternum, quia nequit tunc vasallus nocere sua renuntiatione iuri agnatorum. Clarus, *quæstione trigesima quarta*.

Secundo queritur, An feudum transeat aliquando ad fiscum? De hac quæstione Iulius Clarus, *quæstio 84.* Respondet Bartolus *in l. Si finit, §. Siue vestigalibus num. 2. ff. De damno inf. l. 10.* non transire; quam opinionem dicunt esse communem Romanus, Alexander, Ruinus, Curtius, Boetius, *quæstio 24.* Ipse tamen Clarus distinguit in hunc modum. (Aut feudum est tale, ut de eo non possit vasallus statuere, sine voluntate Domini, & consensu agnatorum, cuiusmodi est feudum antiquum; & hoc feudum non comprehenditur in publicatione, vel confiscatione bonorum, facta ob crimen vasalli; quia fiscus non derogat iuri Domini, vel agnatorum. Item quia tale feudum ad extraneos non tranhit.

Aut feudum, inquit, est tale, ut de eo possit statuere vasallus voluntate Domini absque vilo consensu agnatorum, quale est feudum novum: & tale feudum non transfertur ad fiscum, etiam si bona vasalli ob crimen eius publicentur: nec transit ad agnatos, quia non admittuntur, vel veniunt ad feudum, nisi ex persona eius, qui feudum accepit.

Aut feudum est tale, ut de eo statuere, liberum sit vasallo sine voluntate Domini, & sine consensu agnatorum; cuiusmodi est feudum, quod datur alicui eo pacto, ut possit arbitrato suo transire, ad quos ipse voluerit, etiam ad extraneos. Et tunc si amittitur culpa vasalli in Dominum patrata, non transit ad fiscum, sed redit ad Dominum. Si verò culpa vasalli ob crimen, ratione cuius bona publicata, & confiscata sunt, ipso iure, ut ob crimen hæresis, vel læsæ maiestatis, tunc comprehenditur publicatione bonorum; quoniam omnia bona vasalli iure ipso confiscata sunt; & quia tale feudum potest ad extraneos transire: & quia de eo feudo potest vasallus suo arbitrato decernere,) Sic ille.

Tertiò queritur, An melioramenta, ut dicuntur, rei feudalis ad Dominum pertineant, feudo ad eum revertio; An verò potius auferre, & sibi retinere vasallus possit. Et intelligitur quæstio de melioramentis industria vasalli factis: ut si domum in prædio feudali fabricavit. Respondeo ex communi sententia ea ad vasallum pertinere, *libro secundo titu. 28. §. Si vasallus*. Est tamen liberum Domino, ut vel solvat vasallo æstimationem melioramentorum, vel permittat, ut ædificium tollatur, si absque detrimenno re fieri queat.

Quæres, quam ratione sint melioramenta æstimanda? Verbi gratia, domus, quam vasallus extruxit, tantine, quantum æstimatur ædificium, an verò solum tanti, quantum æstimatur sola materia ædificij? Respondet Baldus, teste Claro, *quæstione 88.* Æstimanda esse tanti, quam valet ipsius ædificium, & ita usu esse receptum, ut testatur idem Baldus & Pativus etiam apud eundem Clarum *in quæstione citata*: quamvis Berous, Clara item referent, dixerit, communem esse opinionem, solum tanti esse æstimandum melioramentum, quantum æstimaretur materia diruti ædificij.

Quartò queritur, Ad quem spectet incrementum, si quod accessit feudo, An ad Dominum, cum feudum ad ipsum revertitur, an ad vasallum? Respondeo, ad Dominum pertinere *lib. 1. titu. 4. §. vltim. C. lib. 2. tit. 8. §.* Et contrario: dummodo incrementum, industria, & opera vasalli non accesserit, tunc enim conditionem melioramenti sequitur.

Quintò queritur, Quid sit dicendum de servitutibus, quas ipse vasallus sine pecunia acquisiuit: vel quæ rei feudali accesserunt donatione alicuius, facta gratia vasalli, & non Domini? Respondet Clarus, *quæstione 88.* servitutes, quæ rei feudali insunt, ad Dominum pertinet.